



## **Politicorvm Libri Decem**

**Contzen, Adam**

**Colonia, [1621]**

Cap. XI. Eruditionem Reipublicæ honorificam & necessariam esse.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

## CAPUT XI.

*Eruditionem Reipublica honorificam, & necessariam esse.*

§. 1. **ERUDITIONIS** nomine omnium artium liberalium, scientiarumque cognitione, ipsam etiam sacrarum legum, & Theologiae peritiam complector. De quibus nunc generatim, deinde particulatim agam.

Haud recte dixit non nemo; mala multi amplectuntur, bonum nemo accusat. Scientiam enim multi accusant, olim sane philosophia habuit reprehensores. Licinius adeo indoctus erat, ut ne diplomatistae quidem nomen proprium subscribere possent. Tanto flagrabat odio literarum, ut literas pestem, & calamitatem publicam vocaret; Rhetores & Philosophos acerbissime oderat, virus & venenum Reipublicae eos esse dicebat. Sed ille à patre rustico educatus inter Dacos barbaros, solis illis æquus fuit. Verum hoc vitium rarum est: Tantus est enim literarum splendor, tanta dignitas, ut plerique etiam principes eruditionis famam aucupentur, inscitiaeque opinionem fugiant. Nero primus inter eos qui rerum potiti sunt, alienae facundiae eguit. Tac. l. 13. Seneca enim orationes recitabat, ut eloquentiae se laude senatui populoque commendaret.

Quantum vero Reipublicae cōferat eruditio multorum, praecipue nobilium, & magnatum, id in priuato quolibet facile intelligitur. Doctrina enim id confert ut ille dicebat, ne sedeat lapis super lapidem. Quantum Socrates Batto, Atticus Bambalioni, tantum Reipublica polita literis, praestat inerudita.

§. 2. Nam sapientiae studium maxime literis continetur. Non potest autem Reipublica consistere, nisi si is qui imperitat, habeat, colatque sapientiae studium. Sapientium sane consilia audienda sunt, alioqui omnia principum decreta, quae non iure, sapientiaque nituntur, sola vis regnantis tutari non potest. Vel subditorum cōiutio, vel laude successoris inconsculte responsorum abolentur.

Primum itaque principem doctum requiro, qualis erat Salomon Deus dedit, inquit Sap. 7. 17. mihi horum quae sunt, scientiam veram: ut sciam dispositionem orbis terrarum, & virtutes elementorum, initium, & consummationem, & medietatem temporum, vicissitudinum permutationes, & commutationes temporum, morum mutationes, & diuisiones temporum, anni cursus, & stellarum dispositiones, naturas animalium, & iras bestiarum, vim ventorum, & cogitationes hominum, differentias virgultorum, & virtutes radicum, & quaecunque sunt absconsa & improuisa, didici omnium enim artifex docuit me sapientia.

Quantum vero obsit Reipublicae, cum plerique principes reguntur, & quod aliquis indutus precio, vel odio, aut fauore in aurem insusurrauerit, sequuntur, omnia regna docuerunt. Quamquam secunda haec est felicitas, sapientiaque, sequi sapientes. Nam sapientiae primum est, non credere se sapientem; & qui bonus esse voluerit, non facilius id faciet, quam si malum se esse credat, ut poenitendo bonus fiat.

Προβίος ὁ δὲν ἀνδρῶν τοῖς ἔργοις

Κτῆδος καὶ βίον ἀμεινον, ὅδῃ τὸ σῶμα.

Prudentia nullum hominibus emolumentum maius est, neque melius, quam mens sapiens.

Nec mihi inagis, quam ipsi principi Romanarum legum credi velim. Imperatoriam, inquit, Maiestatē non solum armis decoratam, sed etiam legibus oportet esse armatā, utrumque tēpus, & bello rum, & pacis, recte possit gubernari: & Princeps Romanus non solum in hostibus praeliū victor existat, sed etiam per legitimos tramites, calum niantium iniquitates expellat: & fiat tam iuris religiosissimus, quam victi hostibus triumphator magnificus.

Nunquam hoc poterit, nisi ipse leges quibus im-

perat, cognoscat, ut nec bellum rite geret, nisi in castris exercitatus. Merito igitur auct. de iudicibus statuit ne illi indocti sint. Nos igitur videntes omnino confusum iudicium schemata, existimauimus oportere hac lege determinare, quae decentem ordinem imponat causae. Non enim existimauimus oportere habere iudicum quorundam nomina, maxime legum ineruditorum, deinde neq. causarum habentium experimentum. Nostris enim administratoribus adsunt modis omnibus etiam assessores, & ea, quae legum sunt, explicant, & occupationes adimplentes eorum: quoniam multi detenti curis, quas apud nos habent, merito iudiciorum complent partē, per suorum praesentiam assessorum. Illi autem neque cingulum habentes, neq. nobis ministrantes, nisi potuerint per se nosse, quod iustum est: sed aliunde emendicare iudicandi honestatem: quomodo non maximum vitium erit reipublica, non eis, qui ex se quod agendum sit, sciant, lites tradere, sed finire eos querere alios, à quib. liceat discere, quae ipsos in iudicando eloqui deceat?

§. 3. Insigne hoc quoque; emolumentum est docti principis, quod solus consiliarios habet, quosdam incorruptos omnino, alios vero timide malos. Qui sine spe & metu rectissime sententiam dicunt, mortui sunt; legunt nam illis principes, quae nemo illis dicere sustinet; nec ferret illa sibi dici ab amico, quae legere gaudent in ignotis, erratis suis conuitia fieri gaudent, cum publica voce monentur. Cum igitur & illi, qui magno studio disciplinis incumbunt, & gubernandae Reip. sese dedit, frequenter errent; quid de illis sentiendum, quos ignorantia, & torpor, velut aureos arietes, in hominum astutorum praedam dedit? Quanquam n. princeps magno sit ingenio, grauique natura ac prudens; non tamen certo, & sine metu Reipub. administrare potest. Nihil enim nisi opinionem habet, quae fallere solet, & falli. Cumque; etiam aliqua praeclearissima cogitauit, iurisperitis examinanda tradat, oportet, à quibus deinde accipiat velut dictata, & sua auctoritate, aliena mente in populum diuulgat.

Doctos principes recentest nobis Solonē, Epaminondam, Philippum Macedonem, Alexandrū, Philopemonem, Romulum, Remum, Caesarem, Octavianum, Tiberium, Claudium, Antoninos, Constantinum, Theodosios, Carolos magnum, & Quintum, Robertum Ierosolymorum regem, Sigismundum imperatorem, Alphonsum Aragonē. Ex praefatis etiam Mithridatem, Chosroem. De quibus Lipsius in monitiis, aliiq. multi. Nec feminas quidē excipiunt, Zenobiā, Amalusiētā, Isābellā, alias. Ego pluris facio, quod omnes illi tā docti, doctissimis viris latro cinxerint, atque ita plurima praeclearissime constituerint.

§. 4. Mihi vel hoc nomine eruditi reges, doctaque Reipub. probatur. Quod facile animaduertam Christianae religionis singulare esse priuilegium, in artibus liberalibus, scientiisque excellere. Totum n. mundum palmam Christianis concedere si historiam expendamus, facile intelligemus. Etenim cum praefatis neque; ingenia defuerint, & aetas, diligentiaque; etiā superfuerint, nullo modo tamē ad fastigiū scientiarum, quod Christiani conscenderūt, peruenire potuerūt. Pythagoras, Democritus, Plato, Aegyptum, Asiam, Indiā peragrāt, eruditionem sibi, ut pararent, Crates Thebanus opes abiecit, Cleanthes aqua hauriēda studia sustentauit. Tanta tamē contentione parū consecutos esse cōstabit, si cū Christianis cōparentur, ita ut monstri instar sit, Philosophos gentium tam studiosos, in tam multis ac magnis erroribus haesisse. Sine quoque; nostro tempore, cum multi totam aetatem studiis impendant, cū maximus studendi sit fructus, vix tamen eorum doctissimi adolecētulis nostris comparari possunt; terram non esse quadratam, aliaque; ex P. Matthaeo Riccio primū didicerunt. Narrat rem P. Nicolaus Trigautius l. 4. c. 5. de expeditione apud Sinas. Nulla igitur alia re P. Matthaeus vniuersam Sinenisum Philosophorum urbem in stuporem aque adduxit, quā Europaearum scientiarum firmissimis

Indocti legum iudex est inutilis.

Principem doctum timement consiliarii.

Libri vera principum dicunt, & eos ipsi audiunt.

Principem ignarum carpum cōsiliarii.

Docti principes.

Christiana Reipublica prorogatiua est eruditio.

Priscatempora Christianis obsistunt.

Sinarum imperitia apud quos summus fit beatus.

simis rationibus confirmata nouitate. Nunc enim auditum primum post tot secula, terram rotundam esse, habebant velut primum principio vetus quoddam axioma: Cælum rotundum, terra vero quadrata. Sciebat nemo centrum in eius medio, grauiam omnia ad se corpora vel euocare, vel sua propensione lapsa recipere; vniuersam in ambitu superficiem habitari; Antipodes homines hominibus sine lapsu consistere; cui rei intellectu annuente, imaginatrix facultas multorum nondum acquiescit. Hactenus inauditum; Luna defectionem posita inter solem ac lunam terra provenire; in cuius explicationem absurda cõmentu grauius ipsa luna deficiebat, inter quos expositores, dixere nonnulli, Lunam soli oppositam præ stupore lumen amittere. Alii solem ipsam in medio perforabant, assererebantq; Lunam huic foramini soli oppositam, lucem ab sole recipere non posse. Nouum fuit solem vniuersum terra globum magnitudine superare, quanquã id vt crederent aliqui facilius adduci se permiserunt, ideo quod etiam ab antiquis regni sui Mathematicis, in librorum monumentis scriptum esse constabat, sole ab eis demensio, supra mille milliaria in Mathematicis instrumentis reperiisse. Sydera vero ipsa, quæ nostri oculi ita exiguo spatio metuntur, vniuersam terram superficiem excedere, id demum paradoxum videbatur. Nondum intellectum, sed ne dictum quidem est solida materia cælum consistere, stellas in eo fixas consistere, non erraticas vagari, decem cælorum orbem numerari, alium alio involui, diuersis moribus ferri. Ex quibus constat, vulgata quæq; ab illis ignorata fuisse.

Exordia Christianæ religionis erudita fuerunt.

Origenis eruditio.

Vnius sæculi plures sunt docti Episcopi apud Christianos quam omnibus sæculis gentes habuerunt.

Pontifices Romani docti.

§. 5. At in Repub. Christiana, etiam præter sacram Theologiam, tanta exoticarum est rerum cognitio, vt nihil par videretur, nihil secundum gentilitas aspexerit. Si enim vetera repetamus; Christianos Philosophos multo, q̃ Ethnicis fuerint, præstantiores suppeditabit ipsa Christianæ religionis exordia. Dionysius Areopagita vir illustis scientiæ, & nominis, Pauli discipulus, tum demum veram philosophiam adinuenit. Dionysii temporibus, fuit & Aristides Atheniensis, Philosophus eloquentissimus, vt eum vocat D. Hieron. secuti deinde Quadratus, Iustinus, Pantænus, & quem Porphyrius præter omnibus, Ammonius. Multos Ammonius & illustres auditores habuit, tã Christianos, q̃ Gentiles; è Christianis fuit Origenes, cui hostis nostræ pietatis Porphyrius testimoniũ eruditionis dedit. Ego Origenem, cum adhuc essem valde puer, vidi arcẽ totius eruditionis tenentem; sicut etiam ex his, quæ posteritatis memoria tradidit comprobatur. Origenes hic est, cuius ingens gloria inter eorum magistros habetur, qui affectus fuerat omnia Platonis secreta, institutus fuerat in libris Numenii & Chronii, & Apolloniani, & Longini, & Moderati atq; Nicomachi, in Pythagorice vero summorum virorum eum non latere cõmentaria. Attingit etiam Chæramonis Stoici, & Cornuti volumina.

Et consentit Hieron. Illud, ait, de immortalitate eius ingenio non tacebo, quod Dialecticam quoq; & Geometriam, Arithmeticam, Musicam, Grammaticam, Rhetoricam, omniumque Philosophorum sectas didicit. Origenis discipuli multi, & graues fuere, quibus gentiliũ pleriq; cessere; Proximis temporibus cõsecuti sunt: Basilus magnus, Gregorius Nazianz. Chrysostomus, Augustinus, Victorinus, Vegetius, Albinus. Et si recte putabim⁹, tot millia Episcoporum Ecclesias regentium numerat orbis Catholicus, vt quanquam inæqualis sit omnium eruditio, tota tamen gentilitas vnus sæculi eruditionem numero, & præstantia non adæquat. Verum id quod admirabilius, & tamen verum est; Si viri eruditi qui in Græcia, atq; in Romana ciuitate floruerunt, ante religionis Christianæ exordia, quique Christianis temporis scientia rerum excelluerunt, colligantur; vni cedent vrbis; Non poterunt vel solos Romanæ Ecclesiæ Pontifices eruditione philosophiæ, & secularibus literis insignes æquiparare.

Clemens primus, siue fuit Aëtius Clemens cui Plinius scripsit, siue alius, philosophia fuit deditissimus, & egregia monumenta literis consignauit. Baron. anno 102. & in martyr. 2. Iul. Franciscus Turrianus con-

tra cõturiatores, Delrio in vindiciis contra Scalig. Linus quoque, & Cletus nobiles Romani in literis illustres fuere. Hyginus celeberrimus sui temporis philosophus erat, cum ad pontificatum eligeretur.

Et quanquam Alexandri, Sixti, Pii, Telephori, Soteris eruditio secularis min⁹ cognita sit, ex Epistolis tamen quæ supersunt, facile colligimus viros doctissimos fuisse. Cornelium sane eruditione Cypriano, aliisque non imparem fuisse, ipsa eius scripta docent. Quemadmodum, & Stephanum eiusque successores.

Felix primus, & Eutychanus, contra Sabellium, Paulum Samosatenum, Manichæos, nobiles disputationes habuerunt.

Liberius, & Felix nimis etiam eruditionis fuere, & calamitosæ, nam Liberius metu, condemnationi S. Athanasii subscripsit, & Felix in sedem eius non bono exemplo successit.

Inter hos sapientia, eloquentia gubernandi peritia, doctorum amore eminuit Damasus, orbis oraculum.

Nec multum impar Damasus Innocentius, Sancti Chrysostomi etiam defuncti propugnatione nobilis.

Hæc sæcula erudita, & hæresibus agitata doctissimos habuere pontifices; itaque Innocentium exceptit Zosimus, hunc Bonifacius primus, illum Cælestinus primus, quem & Augustinus consuluit. Serpebant eo tempore occulta Manichæorum, aliarumq; sectarum contagia. Item Arianorum, Origenistarum, Pelagianorum, Nestorianorum, Acephalorum, Eutychanorum, Prædestinatorum, Iconoclastarum, qui non modo deprauatione scripturarum, & scriptorum Ecclesiasticorum, sed etiam inani Philosophia Ecclesiam agitabant; itaque & duces eos dedit Deus summus pastor, qui eodem gradu furentibus occurrerent, nulla parte non armati, Ecclesiam sacra, profanaque scientia tutarentur.

Hereticis doctissimos pontifices Deus opposuit.

Electus deinde est Leo magnus, qui orbi etiã secuturo doctrinam suam probauit. In eruditorum etiam numerum venerunt, Hilarius, Simplicius, Felix tertius, Gelasius primus, Symmachus primus, Hormisdas, Vigilius, Gregorius magnus, Leo secundus, Ioannes quintus, Gregorius secundus, Stephanus secundus, Paschalis primus, Eugenius secundus, Gregorius quartus. Nicolaus magnus, qui Gregorium magnum scientia, & virtutibus retulit. Ioannes 16. Eugenius tertius, Gregorius decimus tertius, Sixtus quintus, Innocentius nonus. Propria itaque Ecclesiæ dos est eruditio, ideoque Reipublicæ magnopere commendanda. Quod si & hodierna tempora spectemus, & tot Academiæ Lyceæ, dubitare nemo potest; hoc vno tempore plures eruditos viuere, quam olim habuerit vniuersa Græcia à Solonis, & aliorum sapientum æuo, vsque ad Mahometanorum irruptionem, si Christianos excipias.

§. 6. Duo cõtra eruditionem obicere solent non sapientes, sed aulicorum quoddam factuosum, & ineruditum genus. Primum est ex Philosophis prodiisse tyrannos. Alterum, literas obesse prudentiæ ciuili, & militari. Nam Phalaris Philosophus fuit, & Tiberius, & Iulianus. Sicilia ab initio Cyclopes, deinde tyrannos pertulit. Sed plerisque tamen in Græcia educatos. Sane Rhodiginus lib. 22. cap. 21. Philosophos crudelius imperasse arbitratur. Nam quotquot ex Philosophorum progressu Scholis tyrannides arripuerunt, crudelius, auarus, immaniusque eas exercuisse comperuntur, quam ignari prorsus literarum. Patriam libertatem, obsecro vos, quanta feritate Athenienses Ariston, Epicureorum immutritus scholis oppressit. An nõ ante illum etiã Critias, quiq; cum Critia philosophia mysteris sunt initiati? Quid vero de Pythagora dicam? Quid de illis ipsis septem sapientibus, aliisque qui maximorum rerum pondera subire adorti sunt, nonne imperio vbi crudelissime deprehenduntur? Athenienses ex Atheneo n-

Philosophia tyrannos genuit

Ariston tyrannus. Athenienses Critias. Pythagoras Septem sapientes.

mig

Lysias Tar-  
sensis.

In Caelio  
prudencia  
requiro.

Bona Re-  
publica est,  
si princi-  
pes sunt phi-  
losophi.

Epicureos  
nomine phi-  
losophorum  
non digna-  
mur.

Socrati di-  
scipulorum  
crimina im-  
putata sunt

Sortes in e-  
legendis ma-  
gistratibus  
Socrates  
damnatus.

Vis semper  
est suasionem  
infirmior.

mio plus apud Athenienses crudelitas Mithridatico innotuit bello. Nec Lysias Tarsensis tyrannus ex philosophorum scholis la-  
ter: quem cum Stephanophorum allegisset patria, id est, Hercu-  
lis sacerdotem, arreptum semel imperium non abiicit, tyrannum  
agens ex professo. Quia hominum sententia sanguinaria commo-  
tus Demochares, siue is fuerit Crates, lepide fertur dixisse. Sicuti  
ex thymbra lanceam nemo concinnari, ita nec ex Socrate  
inculpatum militem.

Vellem sane virum literatissimum, circumspectius  
locutum esse. Nam moueri poterat rationibus suis,  
quas attulit. Socrates enim, lib. 5. de Iusto. Nisi philosophi  
ciuitatibus dominentur, vel hi qui nunc reges potentesque dicun-  
tur, legitime satisque philosophentur: in idemque, ciuili potentia,  
& philosophia concurrant: neque (quod nunc fit) a diuersis  
haerectentur ingenis, non erit ciuitati, vel (vti mea fert opi-  
nio) hominum generi vlla malorum requies: nec prius hac re-  
publica, quam verbis exposuimus orietur pro viribus, & la-  
men solus spectabit.

Et Tullius ad Q. fratrem: Hanc coniunctionem (inquit)  
potestatis & sapientia saluti censuit ciuitatibus esse posse. Prin-  
ceps ingenii & doctrine Plato. Sed & Antoninum philosophum  
imperatorem, sententiam eandem in ore habuisse Iulius Capi-  
tolinus refert. Hæc ipse Cælius.

Infirmam autem lunt, quæ ipse attulit. Aristonem  
Epicureum, Philosophum esse non admittimus; De-  
finiendi, diuidendi, differendi ignarum, in Phylis  
puerum, in moralibus improbum, vt qui omnia sui vi-  
niat causa faceret. Ille autem scopus ex diametro re-  
pugnat instituto principis, cuius officium est, priua-  
to commodo bonum publicum antepone.

Alter est Critias vnus est triginta tyrannis, & triginta  
tyrannorum crudelissimus, ac auarissimus. Sed ve-  
hementer admiror Cælium hominem non tamquam illo  
exemplo vti contra eruditionem, quo clarissime illa  
ipsa illustratur. Nam refert Xenophon libro 1. de dic-  
tis & factis Socratis, ipsum propter discipulos suos  
Critiam, & Alcibiadem accusatum fuisse. Referam  
verba Xenophontis quanquam plura; quia eo-  
dem modo, eadem his Societati nostra, & Aca-  
demis multis intentatur. Verba Xenophontis sunt: At-  
tamen accusator aiebat, causam eum fuisse, vt leges ciuitatis  
contemnerentur, dicentem stolidum esse magistratus in ciuitate  
suffragis eligi, cum neque gubernatore, neque fabricatore,  
neque iurisperito, neque alio similibus vllis vnquam forte confir-  
matis vtatur, quæ tamen multo leuiora detrimenta inferant  
quam illa sint, quæ in ciuitate a præsidentibus committuntur.

Hos vero sermones incitare dicebat adolecentulos ad contem-  
nendam rempublicam, ac eos reddere violentos. At ego arbitror  
illos quibus prudentia cura est, qui que putant se posse ciuibus  
suis, quæ eis conducunt, admonendo ostendere, minime violentos  
esse debere, quum sciant, ad vim quidem inimicitias sequen-  
das, atque pericula, persuadendo autem sine periculis & cum a-  
micitia eadem posse fieri. Qui enim coguntur, tanquam ex-  
poliati oderunt: quibus vero persuasum est, tanquam gratum  
aliquid acceperint, amant. Nequaquam itaque illorum qui pru-  
dentiam exercent, proprium est vim cuiquam inferre: sed illo-  
rum qui sine ratione potentiam habent. Præterea, qui quidem  
audet vim inferre, non paucis indiget adiutoribus: qui vero per-  
suadet, nullo: nam & solum se sufficientem esse ad persuaden-  
dum putat. Quinetiam talibus interficere quemquam minime  
contingit: quis namque potius interimere vllum vellet quam  
viventem & persuaso vti vt velit? Verum hoc quoque aduersarii  
addiderunt, quod Critias, & Alcibiades, quum Socratem au-  
dissent, multis incommodis ciuitatem affecerunt. Critias enim  
cum ad paucos peruicisset ciuitatis status, vnus ex illis factus,  
longe omnium auarissimus, ac violentissimus fuit: Alcibiades ve-  
ro dum adhuc populus dominabatur, omnium iniustissimus,  
atque incōtinensissimus erat. Ego vero, siquid illi mali ciuitati at-  
tulerunt, de hoc non respondebo: quomodo vero conuersatio il-  
lorum, & familiaritas cum Socrate facta fuerit, narrabo. Fue-  
runt namque hi viri natura longe omnium Atheniensium am-  
bitiosissimi: omnia namque per se ipsos agi cupiebant, & quam

celeberrimi euadere. Quæ itaque Socratem seirent minima pecu-  
nia abundanter viuentem; à voluptatibus omnibus abstinentis-  
simum, ac vt voluerat, omnibus qui secum colloquebantur, vtē-  
tem vi sui sermonis. hæc quum viderent, ac essent quales paulo  
ante dictum est, vtum eos quispiam putet desiderio vite ac  
moderationis Socratis, eius consuetudinem concupuisse: an,  
quod opinati sint se, si eius consuetudine vsi essent, sufficientissi-  
mos ad dicendum & agendum quodcumque, voluissent euasuros?  
Ego namque, arbitror, quod si quis Deorum eis optionem dedisset,  
aut totam suam viuere vitam, vt Socratem viuente vide-  
bant, aut mori, potius mortem elegissent: vt ex gestis illorum per-  
spicuum est. Nam vt primum arbitrati sunt se in suadendo fa-  
cundiores ceteris esse, consensum dimissum Socrate ad remp. guber-  
nandam sese cōtulerunt, quæ principali de causa Socratem au-  
dire desiderarant. Verum adhuc forsitan quispiam dicat non  
oportuisse Socratem antea suis auditoribus republica guber-  
nanda scientiam, quam sobrietatem, & moderantiam tradere.  
Ego aut nihil ad hoc contradicam: video tamen omnes quicum-  
que docent, & se ipsos monstrare discipulis, quomodo ea faciat  
quæ docent, & oratione introducere. Scio etiam Socratem su-  
auditoribus bonis atque honestis hominibus seipsum monstrantē,  
ac optime de virtute omnibusque aliis rebus humanis disputantē.  
Illosque noui moderatos & sobrios fuisse dum conuersabantur cū  
Socrate: non quod timerent ne detrimentū aliquod paterentur,  
aut ne verberibus vapularent à Socrate, sed quoniam hoc sibi  
tunc expedire existimabant. Fortassis autem nonnulli illorum  
qui se appellant philosophos, dicent nunquam iustum hominem  
iniustum fore, aut moderatum, contumeliatorem, aut doctum  
in aliquo illorum, quorum doctrina est tradita, indoctum in eo  
quod didicit posse fieri. Ego vero de his aliter sentio. Video namque,  
quemadmodum corporis actiones non possunt bene fieri ab illis  
qui non exerceant corpora: sic etiam qui non exerceant animi,  
minime posse animi actiones efficere: nec enim quæ faciendæ sūt  
facere, nec à quibus abstinendū est, ab his abstinere possunt. Quo  
circa patres et si sobrios faciant liberos suos, prauorum tamen ho-  
minum colloquia eis prohibent, quasi bonorum hominum con-  
uersatio exercitium sit virtutis: prauorum vero, destructio. Te-  
statur autem hoc etiam qui dicit poeta, Bona quidem discēs à bo-  
nis: quod si te misceas prauis, amittes etiam insitam mentem.  
Quique ait, vir autem bonus, modo fortis, modo ignauus. Quibus  
ego quoque assentio. Video namque, quod sicut carminum facile  
obliuiscuntur, qui meditatione contenta non vtuntur: sic illi qui  
negligunt, tradunt obliuioni sermones ac admonitiones præce-  
ptorum suorum. Quum vero quispiam istorum oblitus fuerit ser-  
monum, obliuiscitur etiam illorum quibus animus ad dese-  
ruiam sobrietatem mouetur. Hoc autem factū nil mirum pro-  
fecto ipsam quoque sobrietatem obliuioni tradere.

Itaque Critias & Alcibiades antequam Socratem adirent,  
vitis corrupti fuerunt: Nec philosophandi, sed  
famæ aucupandæ gratia & eloquentæ familiaritatem  
Socratis adierunt; Tamen eo tempore se modeste ha-  
buerunt. Denique iterum cum improbis viuentem in suū  
singuli ingenium remigrarunt: & Socratem ex osium  
habuerunt. Imo & tyrannos facere oportebat, legem  
posuerunt: Ne de virtute, iustitia, temperantia, vlli,  
nisi qui triginta annorum esset loqueretur. Leuius igitur  
illi philosophiam attigerunt, quam vt immundo  
eam contactu dedecore potuerint.

§. 7. Pythagoræ quid magnopere accuset nescio,  
nam auctoritate, & suasionem, Critoniatas luxu perdi-  
tos, ad frugalitatem, iustitiamque studia reuocauit. De-  
inde Metapontum migravit, ibique diem obiit. Ty-  
rannidem nullam, nisi contra vitia exercuit.

Quin etiam infamat septem Græciæ, quos vocant,  
sapientes. Non modo iniuria, sed vix ignoscenda a-  
roreia, Solon sane crudelis non fuit, nam Draconis le-  
ges sanguine scriptas, quæ omnia delicta morte ple-  
cebant, etiam oculi culpam, & olerum furta; mitiga-  
uit. Tandem Pisistrati tyrannidem fugiens, Aegypti,  
deinde Cyprum adiit, Cræso quoque plurimum cō-  
tulit, donec tandem in Cilicia Solos condidit Athe-  
niensem Coloniam, nouus patriæ in parte pater.

Perian-

Tyranni nō  
vita probi-  
tatem, sed  
viri dicendi  
à Socrate  
petebant.

Mali cum  
Socrate vi-  
tutem sum-  
lant.

Tyrannus  
lex contra  
præceptum.

Pythagora  
mortuus  
ciuibus, ma-  
gnus honor  
est habitus.

Solon longis  
& prudens  
non est ha-  
bitus tyran-  
ni.

*Tyranni sine vi-  
ta periculo  
imperium  
dimittere  
non possunt.*

Periander quidem Corinthios tyrannum egit  
fateor, sed metu crudelem; Nam potestatem à Cypre-  
lo patre regiam, sibi quasi iure hereditario delatam  
subterfugere integrum non fuit, ne se & paternos a-  
micos, totamque cognationem furori corruptissime  
plebis permitteret. Urbem tamen adornavit, bella  
assidue gessit, annos quadraginta regnum tenuit, &  
quemadmodum Augustus laffa crudelitate clemen-  
tiam postremo admittit. Aristoteles sane eius crudele  
paradigma, cum Thrasybulo nihil responderet, sed  
eminetiores spicas defecando segetem æquaret lib.  
3. Polit. cap. 13. defendit. Pittacus Mitylenis Rempu-  
blicam vitæ modestia, ac doctrina administravit, ty-  
rannidis nulla suspicione. Nec Bias contra Prienen  
patriam aliud deliquit, quam, (si hoc delictum est)  
cum ea capta fugiens diceret. *Omnia mea mecum porto.*

*Chilo ty-  
rannus non  
fuit.*

Chilo Lacedæmonius qui ex sapientibus vnus  
fuit, nulla tyrannide vsus est. Nisi hæc eius dicta, quæ  
Delphis consecrata sunt, tyrannica habeantur. *Nosce  
teipsum, nihil cupias nimis. Aeris alieni & litis comes est miseria.*  
Lætitia vi mortuus est, audito filium esse victo-  
rem ludis Olympiacis, itaque funus eius vniuersa  
Græcia profecuta est. Quod tyranno nunquam præ-  
stitisset, Nomen enim tyranni, etiam cum viribus de-  
stitutus est, odiosum est.

Cleobulus, siue Cleobolus longe, à tyrannide ab-  
fuit; Amicis atque inimicis dixit esse benefaciendum.  
Inimicis, vt amicis; amicis, vt amiciores reddamus.  
Tyranni inimicos tollunt, amicis diffidunt, adeoque  
inimicos efficiunt.

Thales Milesius ne imperium quidem tenuit, pa-  
cate vixit, in summa senectute dum ludos spectat,  
Olympiade 8. decessit.

Athenio solutis ergastulis, & volonibus Drepa-  
num subegit, vir prudens, & doctus, sed causa belli in  
obscuris. Nullo igitur modo probatū est Philoso-  
phiā, atq; eruditionem causam esse tyrannidis; quæ-  
admodum nec figlina tyrannos fingit, quamquam fi-  
guli progenies fuerit Agathocles. Aspirare tamen fa-  
cilis ad imperium possunt docti, cum historias, affe-  
ctus, mutationes, dolos etiam, fraudesque ignorare  
non possint, omnemque regnandi artem calleant, si  
abstinentia pietasque, non est mirum eos facile ty-  
rannidem occupare, occupatam artibus politicis se-  
curam reddere.

## CAPVT XII.

### *Literarum studium non obesse politica pruden- tia siue togata, siue mili- tari.*

*Literarum  
studia pruden-  
tia non  
obstant.*

*Patrocinii  
ignorantia.*

§. 1. **E**RAT hoc quod secundo loco nobis imperi-  
ti obiciunt. Atque interdum etiam viri do-  
cti. Neque tam plana est responsio, quam multis vi-  
detur. Multorum enim errores, quædam studiorum  
nos reprehendere cogunt. Mathematicos nonnulli  
ab Republica remouent, quia ἀπειρολογίας ἀποδεικνυ-  
κούς subtilissimis demonstrationibus affueti, easdem  
in Republica lineas tenent, cum tamen æquitatem,  
Epistocian, dissimulationem, aliaque versatilis illa vr-  
bium rota postuler. Grammaticos, vt viles aspernan-  
tur, Philosophos, vt scepticos, poetas, vt furibundos,  
Rhetores, vt turbulentos, Iurisperitos, vt litium fa-  
tores, Theologos, vt libertatis inimicos. Sola apud il-  
los ἀμύμων, & ἀνομιος absque culpa, & reprehensio-  
ne est ignorantia, diua rusticana. Etenim memini o-  
lim Græce iucundas fabulas, de scholasticis circum-  
ferri solitas; quidam enim speculationibus adeo in-  
dulgent, vt ad victum, consuetudinemque humanā  
sint penitus inidonei. Quod non est artium, sed ho-

minum vitium. Multas enim res nimium conci-  
dunt, atque ad inutilem subtilitatem perducunt, at-  
que ita in vincula potius animum ducunt, quam su-  
bleuant, & attollunt. In literis vsu venit, quod om-  
nibus in rebus. Vitiosum est, quod nimium est. Ni-  
mum est, quod animos vtilibus destinatos inutili-  
bus detinet. Nam de illis, inquit Seneca de breuitate vi-  
tæ cap. 13. nemo dubitabit, quin operose nihil agant, qui in li-  
terarum inutilium studiis detinentur: quæ iam apud Romanos  
quoque magna manus est. Græcorum iste morbus fuit, querere  
quem numerum remigum Vlyxes habuisset? prior scripta esset  
Ilias, an Odyssea? Præerea an eiusdem essent auctoris? Alia de-  
inceps huius nota: quæ siue contineas, nihil tacitam conscien-  
tiam iuuant, siue proferas, non doctior videberis, sed molestior.  
Nam hi tales quo plus opera impendunt, eo se ma-  
gis impediunt. Et in labyrintho, quo quisque magis  
ad exitum festinat, ita se magis implicat, longiusque  
abest à ianua. Multi non inuenerunt necessaria, quia  
superflua quæsiuerunt. Multum illis, inquit Seneca. Ep.  
45. temporis verborum cauillatio eripuit, & capiosa disputa-  
tiones, quæ acumen irritum exercent. Nectimus dolos, & ambi-  
guam significationem verbis alligamus, deinde dissolimus.  
Tantum nobis vacat: iam viuere, iam mori scimus? Tota illo  
mente pergendum est; vbi prouideri debet, ne res nos, non ver-  
ba, decipiant. Quid mihi vocum similitudines distinguas, qui-  
bus nemo vnquam, nisi dum disputat, captus est: res fallunt, il-  
las discernere.

Miseritima diligentia Tiberii visa est erudit. Suet.  
cap. 70. Maxime curauit notitiam historiae fabularis, vsq; ad  
ineptias, atq; derisum. Nam & grammaticos, (quod genus ho-  
minum præcipue, (vt diximus) appetebat, eiusmodi fere qua-  
stionibus experiebatur: Quæ mater Hecuba? quod Achilli nomen  
inter virgines fuisset? quid Sirenes cantare sint solite? Et quo  
primum die, post excessum Augusti, curiam intrauit, quasi pie-  
tati simul ac religioni satisfacturus, Minos exemplo, ture qui-  
dem ac vino, verum sine tibicine supplicauit, vt ille olim in  
morte filii.

Non melius ille Archiepiscopus, de quo Lælius  
Biscola noster in horis successibus l. 3. c. 1. Noui ego Pata-  
ui, cum Theologia operam darem, florentissima in Italia vrbs  
Archiepiscopum aetate iam prouecta, doctum hominem, inge-  
nosum, acutum, grauem, qui cum si de Theologia, deque diui-  
na sapientia, sermones velles cõferre, frontem obducere, superci-  
lium attollere, manifestis indicis auersari huiusmodi oratione  
vidisses, at si quidpiam eum eo de modalibus, de conuersioni-  
bus, de mystionibus, de maximo, de minimo, de proportionibus  
& gradibus actionis, passionis, reactionis, repaisionis, commu-  
nicare in animum induceres, ex hilarare vultum, exultare,  
triumphare gaudio.

Noctes & dies senex hic, & grauis Archiepiscopus, totus e-  
rat in explicanda ratione modalium, scribebat de eo argumē-  
to, rescribebat, cum hoc atq; illo conferebat huius explicationē  
reprehendebat, illius commendabat, nec sibi vnquam satisfacie-  
bat, & in eo tamen non quiescebat, si quid aliis videretur sibi  
inuensisse probabilius, quod mox etiam mutabat: instituit itē  
de causa atq; origine risus tractationem, in qua, quoniam alio-  
rum omnium veterum, ac recentium Philosophorum consu-  
tans opiniones sibi visus erat rem ipsam, quasi acu, terigisse, ita  
sibi placebat, vt magnum Turcarum Imperatorem, dicere pos-  
ses eum ad Christi fidem religionemque adiunxisse.

De illo ipse recte iudicat, cū Stob. Ser. 8. δὲ ἀλλὰ βρο-  
τὸν ὁλοσχερέστερον μὲν ἀνοιδίαν, καὶ ἀνοιδίαν δὲ πᾶν μὲν καὶ τει-  
φείας, πᾶν γὰρ ὅτι οὐκ ἔστι φιλοσοφία ἀνοιδία. Hellebo-  
rum, cum grandiusculis partibus sumitur, purgat; cū  
vero in minutissima teritur, suffocat, sic inanitas, & ni-  
mia in philosophia subtilitas.

§. 2. Has ob causas olim quoque artes illæ male  
audierunt. Zeno in principio, τὴν ἐγκύκλιον παι-  
δείαν ἀχρεῖον ἀποφαίνει. Encyclicas artes, seu liberales  
inutiles desinit. Et Stoici tamen in acuminibus nimii  
erant, vt mirum sit, Xenonem Stoicorum principem  
ita sensisse. Verum est, multa inania doceri ab istis.

Error est ni-  
mum spe-  
culari.

Inanis ar-  
gutarum  
cura scien-  
tias insa-  
nat.

Se & im-  
perio negle-  
cto ludicris  
detinetur.

Archiepisco-  
pi ridicula,  
& impro-  
banda cura

Ipsi Stoici  
artes da-  
mnant.